

WALD  
DALIN, PETRUS ANDREAE

**Encomium Ostrogothiæ : (Åbo-D. Achrelius  
9 maj 1680.)**

Aboæ  
1680

# EOD – Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 10 europeiska länder!



## Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400-till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

## EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
- Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
- Skriv ut enstaka sidor eller hela boken.
- *Sök:* Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
- *Klipp & klistra:* Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).

## Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkoren på svenska: <http://books2ebooks.eu/odm/html/nls/sv/agb.html>

## Fler e-böcker

Redan nu erbjuder 30 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Mer information finns tillgängliga via <http://books2ebooks.eu> alla boken.

- <http://search.books2ebooks.eu/>


ÖSTERGÖTLAND

F 1750  
Bz 1226

Lo. Samml-  
Före 1700  
Lat. Tol. Oster  
(Pr.)  
o

DAHLIEN





*Lundae  
Fecit 1700  
Lud. tal. d. t. t.  
(101)*

ENCOMIUM

# OSTROGOTHIAE,

Quod

Regiâ in Academia Aboensi;

die ix. Maji Anni M. DC. LXXX.

DIXIT

PETRUS Dahlqñ/ O-Gothus,

S. R. Maj. Alumnus.

*Cic: in off: ad M. F. lib. 1.*

SI CONTENTIO QUEDAM ET COMPARATIO FIAT, QUIBUS PLURIMUM TRIBUENDUM OFFICII, PRINCIPES SUNT, PATRIA ET PARENTES, QUORUM BENEFICIIS MAXIME OBLIGATI SUMUS.

A B O Æ,

---

Excusum à JOHANNES WALDIO, Acad. Typogr.



TO THE

# OSTROGOTIA

Qua

Regis in Academiae Neapolitanae

die Martii Anno M. DC. LXX.

DIXIT

FRANCISCVS JOSEPHVS

Imperator Romanorum

in officio

ACADEMIAE NEAPOLITANAE

INSTITVTVM

A. B. O. E.

Neapolitanae Academiae Neapolitanae



to  
gn  
R  
cr  
di  
eti  
ne  
lio  
cu  
va  
po  
or  
Pa  
co

REVERENDISSIME DN. EPISCOPE,

NEC NON

REVERENDI ET CLARISSIMI SPECTATISSIMIQ;  
DN. PATRONI ET EVERGETÆ

COLENDI:



*Ausae praescribendi Nominis tui Reverendissimi brevi huic O:Gathia descriptioni graves satis habeo. Primam quidem, quod Episcopus, ac patria nostra praesul desideratissimus; Alteram, quod literarum magnus literarumq; Patronus, eos nunquam non laudanda & depraedicanda benignitate amplecteris. Denique levidensi hocce chartaceo munere Reverendissima dignitati T. cupiens me commendatū, sine ambitu crimine humillime peto, me, cui obstat res angusta domi, Reverendissima Dignitas T. suo dignetur complecti favore. Vestra etiam, Reverendi & clarissimi spectatissimiq; viri, adscripsi nomina, nempe quod primi me subsidiis defuitutum, & patre orbatum, consilio & auxilio sublevastis, & adhuc estis, qui me promovendum cupitis, quibus propterea gratissimum me sistere cupiam, dum vivam, vosque futuri eritis, ut quibus omnia mea adeoque me ipsum post Deum, unice debere fateor. Accipite, rogo, sincerā fronte oratiunculam hanc meam, quam non ut debui, sed ut potui, de Patria conscripsi simplicissimam. Et divina tutela, patroni commendati, quam optimè valete, & favete*

Reverendissimæ dignitatis Tæ. & Reverendarum Clar. V. Humillimo Adiectissimoque Clienti

PETRO Dablijn!

*Nobiliss: Pereximij Literatissimiq; bonarum  
artium Studiosi!*



DE Patriæ suæ florentissimæ situ, am-  
plitudine, qualitate Cœli, Agrorum  
ubertate, jucunditate silvarum, cam-  
porum delicijs, fontium gelidorum  
perennitatibus, limpidis pellucidisque flumi-  
num liquoribus, miraculis atque salubritate mon-  
tium, urbium numero, monumentorum gloria,  
dignitate locorum, illustrium virorum copiâ, sin-  
cera gentis prudentia, adeoque universa Re-  
gionis istius felicitate, Orationem Elegantem  
hodie habebit eximie indolis juvenis, DN. PE-  
TRUS Dahlstn Ostrogothus, Atqui cum con-  
cedenda sit præclaris ingenijs quædam libertas,  
in ipso orationis caractere nihil mutare volui.  
Res sunt satis notabiles, ex Historia, Antiquitate,  
intimisq; monumentorum recessibus collectæ.  
Nunc vero, ad audiendam hanc Orationem,  
Ornatissimam Studiosorum coronam officiosè  
invitat, ad tertiam pomeridianam, in Audito-  
rium majus,

Dab. 12 Maii Anni Currentis

M. DC. LXXX.

DANIEL ACHREL  
P. O.



Ræclare alicubi dixit boni pū-  
 blici amantissimus, *Nobis nos*  
*non solum notos esse, sed partem*  
*nostræ, etiam sibi vindicare Patriam:*  
 Indicans tempore pacis, nulla  
 non officia eidem exhibenda  
 paratissima promptissimaq; . Tempore vero belli  
 cum hostis infensus hanc urgeat, premat & vastat,  
 vitam pro illa ponendā. *Dulce enim & decorum est*  
*pro patria mori, & cum salutis suæ impendio, pie-*  
*tatem erga illam testari.* Curtius, & animo & ge-  
 nere nobilissimus adolescens, præcipitem in pro-  
 fundum ruinæ egit sese, ut urbem Romam à tan-  
 ti hiatus malo liberaret. Decius, qui consulatum  
 in familiam suam primus intulit, cum Latino bel-  
 lo Romanam aciem inclinatam, & pene iam pro-  
 stratam videret, caput suum pro salute reipubl:  
 devovit; ac protinus concitato equo, in medium  
 hostium agmen, pro *Patriæ* salute, cum suo peri-  
 culo irrupit: factaq; ingenti strage, plurimis telis  
 obrutus, inter mortuorum agmina corruit; Ex  
 cujus fato & sanguine insperata victoria emerfit.  
 Codrus Atheniensium Rex, ut pro pace patriæ,

A

ad

ad Apollinis Delphici Oraculum hostili manu occideretur, insignia imperii deposuit, cultum alium induit, ac rapido hostium globo sese objecit: quorum dum unum falce percussit, omnes in eadem suam compulit, atque sic Athenas ab interitu vindicavit. Et plura peregrina exempla historia profana dabit, si quis quærere ac novisse velit, quam benigne, quam profusæ pietatis erga patriam omnium ordinum, omnis ætatis homines extiterint olim. Scriptura sacra Herôas populi Dei memorat, & ne debiliior sexus sua laude careat, Jaël & Judith maxime laudantur. Domestica quoque plura forent, quam recensere liceret: etjam illa quæ proximè elapsis annis in bello Sveco Danico contigere; ubi viderunt qui adfuerunt, Regis nostri Serenissimi pro Patria animositatem, quem *divino auspicio* de hostiû faucibus salvum & incolumen ereptum habemus ac habeamus diu! & Herôum nostrorum fortitudinem raram, & facinora egregia, qui pro nobis corpora sua opposuerunt, & pro victoria, pro pace vitam dederunt, alij celebrarunt hæctenus. Nos quoque in quocunq; statu, quocunq; tempore vivimus, ut quantû & quo modo possimus, cupiamus de Patria semper benè mereri, sic enim canit claris: Poëtarû  
*Nescio qua natale solum dulcedine cunctos*

Ducit

*Ducit & immemores non finit esse sui.*

Unde dum de O-strogothia pauca dicere sita-  
nimus, & pii laboris sit officium: quamvis ego  
consciis infirmitatis simmeæ, & inchoati ma-  
gis studii, quam consummati, cohibere me tamen  
ulterius non potui, quin propter pietatem in pa-  
triam inter disertorum elaborationes etiam  
hanc oratiunculam tenuem in ejus laudes pro-  
nunciarem. Cum vero Inter Arctoi orbis regna,  
quæ in plures partes divisa numerabat Anti-  
quitas, Gothiæ nisi fallor nobilissimum erit,  
sive claritudinem domesticam spectes, sive præ-  
clare facta in bello consideres. In tres insignes  
ducatus nunc planè dividitur. O-gothiam, Vest-  
gothiam & Austrogothiam sive Smolandiam;  
cum provinciis adjacentibus ac insulis. Et O-gothia  
quidem, quæ nomen sine dubio à situ ad orien-  
tem sortita est, Sveciæ proxima est, sicut & ho-  
die Sveo-Gothiæ corona est unica, cujus orienta-  
le latus mare cingit. Australe defendit sylva-  
rum series *Hälawedh* / Occidentale lacus ingens  
*Wetter*. Aquilonare nemus *Kålamordh* munit.  
Longitudo est miliarum viginti, latitudo ve-  
ro implet quintecim miliaria Svecica. Divi-  
ditur in ortivam & occiduam, dictas nostratibus  
*Östansångh* & *Wästansångh*, quarum illa infi-

gne monstrat *Leonem inauratum*, super tres a-  
quas in campo dimidio aurato: hæc signo utitur,  
Dracone volante, cuius caput, & pedes rosis &  
alvus stella ornatur. Nec sine causis gravibus;  
Leo fortitudinem incolarum denotat, bellicosit-  
sima namque gens est, nec minus robusta  
quam animosa quorum militaris potentia par-  
tem Asiæ quandam & Europæ domuit, ut pene  
dixerim, *hos fuisse illos*, quos, Alexandri Magni illius  
orbis domitoris & Græcorum imperatoris audacia,  
alias summa, adire tamen non sustinuit, & cum  
quibus Julii Cæsaris invicta potentia, superatis  
cæteris, congrédi tamen formidavit. Hinc Saxo  
effusus in gothorum laudes cecinit,

*Dans unum tres accipio, sic mutua Gothi  
Vulnera compensant: sic dextra potentior hostis,  
Vendicat acceptam cumulado foenore pœnam.*

Sed de istis heroicarum virtutum Symbolis  
plura dicerem, si non elegantissima oratio extaret  
de fortitudine Gothorum bellica, habita olim  
ex hac eadem cathedrâ Academicâ. Cæterum  
ille campus auratus, & Draconis volantis pedes  
rosis ornati, & ejus caput violis cinctum elegan-  
tiam regionis notant; est etenim maxime cam-  
pestris & plana, si montium quosdam exceperis,  
*Pulabergh / Amabergh / Ramphäll / & Riässelbergh /*  
nul-

nulla namque habet juga perpetuo quæ rigent  
gelu, nullos asperos vertices, nullas abscissas pe-  
tras, nec prærupta rupium: ubi campi desinunt;  
convalles habet elegantes, sylvarum floridâ gra-  
tiâ ubiq; interstinctas. Circa montes reperiuntur  
lapideæ moles è naturâ in diversitate figurarum,  
quadratarum, & oblongarum formatæ, quorum  
elegantiam politus splendor, & ornatus pulcher-  
rimus auget. Apparent in *Amaberg* non pro-  
cul ab insigni Monasterio *Vadstenensi* lapides  
varii coloris, qui ratibus illinc deportati, in pul-  
cherrimum & commodissimum incolarum usum,  
à fundamentis, fenestrarum interpositione, ad  
culmina tectorum rediguntur. Qui collis omni  
amœnitate plenissimus, latus & sublimis, à longe  
navigantibus, non aliter, quam civitas aliqua tur-  
rita mœnibus cincta apparet. Iam quis non va-  
rias littoralium ad *Bråviken* saxorum figuras  
admirabitur. Quædam enim horum formam  
humanam, capite, manibus, pedibus, & digitis re-  
præsentant. CrySTALLINOS etiam lapides non longè  
ab *O. gothorum* oppido *Sudercopensi* habemus  
hexagona forma, quantitate digitali dependen-  
tes; quorû splendore magis ornari possent ædes,  
si incolæ plus attenderent ad pulchritudinē, parie-  
tū quam firmitatem fundamenti. Agri de cætero

hic sunt pingves, fertiles frugum, & frumentorum  
omnium abundantes; ut nec immerito Granarium Gothiæ appellari possit. Et exstant in vulgari Gothico pauci Rythmi cujusdam Sancti *Henrici Episcopi* Lincopensis in commendationem agriculturæ, concinnati quos *Olaus Magni* in gentium septentrionalium historiâ citat posteris in memoriam sempiternam.

**Hafvet dråper mången Man/**

**Hoo Jorden brufar Säll är han.**

Id est, *mare multos occidit, ubi felix est, qui terram colit*, Ita revera est, multa mercatoribus foeneratur mare sed cum periculo; sed agrorū indefessa cultura, cultoribus suis dat omnia sine discrimine. Eoque securiores sunt in colligēda messe agricolæ quo diligentius arte & labore præpararūt agros: jam & alibi Hortorum fructus, varia nobis præbent oblectamenta, *Poma, Pruna, Cerasa, Juglandes, cucumeres, Cucurbitas, & hisce confimiles*. Alibi herbæ odoriferæ advenientes delectant, confortant, & juvant. In sylvis variornm generum arbores crescunt è quibus utilitates magnas capiunt. Hinc domos, palatia, templa ædificamus: hinc cortices tegendis ædibus, hinc asseres, tabulas, unde vasa & instrumentua quotidianis usibus apta, petimus ac conficimus; hinc picē, oleum,

&

& medicinam colligimus. Adde prata ridentia,  
lucos & querceta amœnitate (vavissima; ubi tanta  
clangit & resonat, mirum in modum quasi sta-  
tis vicibus ad orientem solem multarum avicu-  
larum musica. Jaculis autem vel laqueis, *Atta-  
gines, perdices, columbas, urogallos, tetraones mino-  
res, falcones sturnos, grues, turdos & alaudas*, decipe-  
re ac capere gloria est: quare non frustra Draco-  
nem, ut dixi, volantē Symboli loco præferunt ob  
fertilitatē provinciæ, & divitias *O-gothiæ* incertum  
ubi quiescat dum alia ditiora sint aliis & huc illucq;  
circum volet: Nostris namque proverbium fuit,  
& adhuc est: *Draaken flyger / vel ut aliis placet,  
Draaken ligger öfwer godzet*, licet & alias forte expli-  
cationes addere possēus, si non in his ludere puerile  
foret, nam dum bonitatē suam hic effundat natura,  
fere credo *Gothiā & O-gothiam* à bonitate nomen  
accepisse. Quippe nostri *Godh* bonum dicunt,  
unde *Gothiam* derivari facile posse *D*, in *th* mu-  
tato, exempla permulta, evincunt. Cæterum  
ejusdem Provinciæ bonitatem, fodinæ metallicæ  
satis superque testantur, ubi ferrum & chalybem  
magna in copia effodiunt, atque deinde ad offici-  
nas ferreas transferri curant, ubi omnis generis  
ferramenta excuduntur: Tormenta cum primis  
bellica, & arma alia: *Galea, bombardæ, gladii, glan-  
de s*

des, sclopeta, iudes ferrea, & alia utilissima domi  
instrumenta quæ ad multiplices Regni sveciæ  
usus magnopere sunt necessaria; horum locorum  
celebriora sunt: *Finspångh* *Godegårdh* / *Hällestadh* /  
*Åtvedh* / *Risinga* / *Kielmo* / *Bånga* & *Ringarum*.  
&c. tum & lacus habet per plurimos, dudumque  
celeberrimos *Koren* / *Åsunden* / *Glaan* / *Zernlunden* /  
*Somen* / *Yrningen* &c. cum sinu *Bråvisten* mul-  
tis insulis claros. Prætereo *Wätter* qui *Gotbiam*  
& *Smolandiam* à *Vestrogothia* dividit: cum totus no-  
ster non sit: Flumen autem *Motala* in varios  
ramos divisum regionem rigat, in mare Balticum  
elabitur, cujus admirandam naturam, ecquis  
nunc nostrum ignorat. Solet enim ingruente no-  
tabili casu, vel mutatione in regno insigni, cursum  
alias rapidissimū sistere, sive eximias victorias, sive  
novas pacificationes vel imperii decremēta,  
vel alia portendat: Minores autem fluvii sunt  
*Möhlbydå* / *Rimsfors* / *Cappelsdå* / *Finspångh*. &c.  
Et torrentes alios adhuc nominamus, sicuti  
*Stångh* aut *Zannesors* / qui non longè Linco-  
pensi oppido distat, cui à continuo stridore den-  
tium nomen est impositum: etiam ille qui propter  
impetuosum cursum nomen dedit urbi ac loco  
ubi labitur, sicut antiquissimū *Ostrogothorū* op-  
pidum *Steninge* / dicitur à torrente qui obra-  
pidis-

simum alveum *Edena* vulgo dicitur instar  
equiferreis excussis habenis per avia ruentis.  
Præter hæcenus memorata, nobilissimos no-  
verunt veteres fontes, *Ragnelesiðalla* & *Orðiðalla*/  
qui nunc cedunt nobilioribus illis in *Medetvil*/  
quos *Surbrunnar* appellat, qui de illis in vernacu-  
lâ lingvâ copiosè scribit *Urbanus Jârne*. Regia  
hic sunt palatia, arces magnificæ, quippe re-  
gum filii O-gothicæ ducatus cefferat, sicuti *Gu-  
stavi* i. filio *Magno* assignata est, & ex decreto  
*Norcopensi* post fata Regis *Joh. III.* filio prin-  
cipi *Johanni* pro *Fenningia* O-gothia data est:  
ac *Maria Elisabetha* post mortem Regis *Ca-  
roli IX.* parentis sui Ducissa O-gothicæ est salu-  
tata. Ut illustrium permultas sedes, nunc re-  
linquam intactas. Cæterum Metropolis *Ostro-  
gothicæ*, & civitas primaria, urbs splendidissima  
*Norcopia*, panni texturâ, tingendi arte, papyrum  
conficiendi, orichalci ingeniosâ tractatione, va-  
riisque artificijs copiosa. Nam ibi opus æneum  
ferrumque nobilissimum, propter quod à scri-  
ptoribus aliisque regionibus maximam adepta  
est laudem, excuditur. Alterum *Ostrogothorum*  
opus tale, appellatur *Gudsum* & quidem celebra-  
rimum *Arx* ejus elegans est, & bene munita,  
*Templa* capacia, ædes locupletissimæ, ac ferti-

litas inenarrabilis. Altera inter antiquissimas Ogothiæ urbes est Lincopia, Episcopali sede Gymnasio & Schola dudum celebris. Hic sunt illustria sepulchra, Regis Olai *Stotkonungs* & regis *Amundi* sic dicti *Kålbrenners*, qui hic iacent contumulati. Antiqua etiam nostrum urbs *Sudercopia* quondam omnium rerum mercatu nobilis, nunc florente vicinâ *Norcopia* multum de antiquâ gloriâ remisit, illam non demptam sibi cogitans, quam cum lucro quotidie proximam restituere audit & videt. Hæc vetustior est Scheningia, olim quidem amplissima, quod hodie plateæ longe lateque extensæ, ut & plurima templorum rudera testantur. Nunc fertilissimorum agrorum atque hortorum culturâ potissimum nobilis. In foro olim stabat gigantea statua, Turonis longi, ad cuius genua publicâ quæstione corripiebantur malefactores, præcipue adulteri, qui inter brachia statuæ ferreis catenis alligati varijs ludibrijs stabant expositi, maximè in terrorem & exemplum fragilioris sexus. Inter antiqua monasteria est *Vadstena*, quod undis lacus *Wätter* pulsatur, non tam amplum, quam amœnum. Olim cœnobia S. Birigittæ, & reliquiis celebre Nomen à saxis, ad pontem arcis collocatis, traxisse putatur. Templis nobilissimis planitie la-

te circumiecta, hortis pomiferis, fontibusq; limpidissimis gaudet. notantur hic inter cætera versus elegantes quos in effigiẽ cœnobii *Vadstenensis*, quõdam celeberrimi, à divâ Brigitta auxilio Regis Magni *Svedicis* fundati, & undecimo inde anno consummati, quod sexus utriusque ordinis Brigittini cœnobitæ quartâ Januarii primitus incoluere, sed trecentis septuaginta duobus annis post, videlicet Anno 1595. idibus septemb. desolatũ est. Atque in his urbibus ad comitia sæpius vocati, omnes convenere ordines Regni. Ad *Scheningense* Anno 1282. dux Bergerus *Jarl* in Regem eligebatur, qui in Bielbo natus & educatus, metropolim Sveciæ *Holmiam* fundavit. In hisce comitiis quoq; permillum Clero uxores ducere, quod decretum non statim vim & robur nactum est. *Sudercopense* Anno 1314. senatores ac ordines regni, *Birgero* iusjurandum quod faterno bello interruptum fuerat, renovantes obligarunt se, & suam fidem Regno ac Reginæ, & Magno primogenito eorum addixerunt. Sed *Lincopense* Anno 1600. habitum uberrim declarat illa argumenta ob quæ corona Sveciæ *Sigismundo* Poloniæ Regi sit adempta, & cur Rex *Carolus ix.* ibidem eligeretur. Hic quoque unio hæreditaria renovata est An-

no 1604. quod in iplo decreto Norcopenfi  
fufius exponitur: Nunc etenim *Gothi* cum *Sve-*  
*vis*: & *Sveci* cum *Gothis* idem agunt, & sub uno  
eodemq; Rege vivunt; fecus ac olim factum in  
Historiâ Regum *Gothorum* *Svecorum*q; legimus.  
Quales fuere post *Getharum* vel *Gogum*, quem  
*Gothiam* constituisse scriptores permulti perhi-  
bent. *Ericus* 1. sapiens & probus, *Uddo*, *Alo*, *O-*  
*thinus*, *Carolus* 1. *Biôrno* 1. *Gethar* 2. *Siggo*. donec  
*Bericus* qui alias *Ericus* 4. dicitur, utriusq; Re-  
gni potens, ante C. N. 143. innumerabili homi-  
num multitudine *Rugiam* & *Ulmerugiam* invadit,  
cum vicinis luctatur, mox remora subjugat. Sed  
forte hoc in loco non alienum causas erit emi-  
grationis *Gothorum* breviter ostendere: Sunt  
namque qui dicunt præcipuas has fuiffe, ut vin-  
dicta de hostibus fumeretur, & *Gothica* natio in  
alienis Regnis ac terris, quantum viribus posset  
experiretur: Nam licet fateri neceffum est, *Go-*  
*thos antiquiffimos* belli quam pacis amantioreſ fu-  
iffe, revera tamen credo hanc hominum multi-  
tudinem eductam, ob annonæ caritatem, varios  
motus & undam populorum, quâ mole ut Patria  
liberaretur egredi neceffum erat. Tum ad vin-  
dicandas injurias, ab *Ulmerugis*, *Curetibus*  
& *Livonis*, aliisq; maris accolis illatas. Tum ad  
am

amplificandam nominis sui gloriam. Tanta enim *Gothorum* extra Patriam militantium celebratur fama quam nulla ætas sufficienter deprecare poterit. Cæterum intra patriæ limites post hunc *Gothorum* Rex erat *Scarinus*, deinde *Gestibindus* & cæteri, quos Gothi veteres elegerunt, qui pleriq; apud *Vestrogotos* fatis concesserunt. Inde *Carolus tertius*, *Unguinus*, *Sivaldus*, *Sivardus*, *Fiolmum*, *Svercherum* primum, & *Valandrum* Reges *Gothorum* salutant, sub quo ab *Attila* *Svecorum* Rege in O-Gothos impressio facta est, quem & in conflictu læsit, dum & bellum fiebat, & firma inter *Sveciæ* & *Gothiæ* Reges pax coaluit. Sic *Visburum* avarum, & *Domaldum* impium, qui diis *Upsaliensibus* ob annonam à subditis mactatus est, & *Domarum* suorum successores majores nostri habuerunt, *Dagerus* namq; filius *Domari* utrumq; Regnum conjunxit. Nec plures *Gothia* seorsim sibi eligebat reges, præter *Holstanum* 1. *Ingemari* filium, & *Ragaldum* tertium cognomento *Ruiphöfde* cui *Ingoni* 4. (qui æquitati administrandæ gratia Regnū obivit: vel ab ipso, vel aliis æmulis, vel aliis justitiæ impatientibus in O-gothia ad *Bretavenenum* exhibitum est, ab O-gothis Rex sumitur, sed mox in *Vestrogothiâ* ad *Carleby* trucidatur: si-

cut & *Carolus VII.* cui *O. gothi* coronam, obtulerant,  
à *Canuto S. Erici* filio in *Wisingöb* occisus est:  
sed quos Reges *Svecia* amavit, eisdem & qui  
hodie per unionem hæreditariam maioribus Re-  
gibus Reges succedunt exoptati, illis etiam ob-  
sequia & officia debita exhibet, ac salutem, an-  
nos gloriam nunquam non precatur *Gothia*. Id  
saltem ex dictis in confesso est, *Gothorum* Reges,  
etiam cum *Sveci* & *Gothi* diversis paruerunt, po-  
tentes fuisse, quia nunc cum *Svecis*, nunc cum  
*Danis*, nunc cum utrisque simul gravissima bella  
gesserunt & non raro feliciter confecerunt. Et  
absque temeritate spero dici posse *benedicente Deo*,  
*Gothicum* Regnum vel solum ad excipiendum  
hostem, & defendendos fines *Austrum* & occi-  
dentem versus, ubi situm est, sibi sufficere. Quod  
vel *Rex Sigismundus*, qui infestis armis, instructis-  
simo cum exercitu in gremium *O-gothicæ* ad-  
suorum internecionem irruit in pugna illâ me-  
morabili quam nostrates ad huc hodie *Stänge-  
brostaget* nuncupant. Nam bonum publicum,  
Regnorum gloriam pacem & concordiam, legis  
& religionis amantes, si non aliter fieri possit,  
armis justis tuentur atque defendunt. Iam si  
extra *Patriam O-gothorum* fortitudinis bellicæ testi-  
monium quis petat: O quam multa & memora-  
bilia

bilia suppedidabit historia: Nobis sufficiat recitasse O gothos olim ausos Leoni imperatori bellū inferre, & hunnos ad ita devicisse, ut ex illo tempore supererant in *O-gothos* arma sumere formidarent: *suevos* & eorum confederatos ita deleverunt, ut campus corruentium hostium cruore conspersus, rubeum pelagus appareret: armaq; & cadavera in modum collium cumulata, campum longe plus quam decem millibus passuum compleverint, dum tam atrociter injuriam *Vestro-Gothis* conterraneis illatam vindicarunt, ut in illo prælio unico, triginta millia *Francorum* ceciderint. Qui exemplo suo satis docuerunt, quid vires & robora *Ostro-Gothorum* valeant: Ipsis namq; dulce & decorum pro *Patria*, pro lege, pro Rege, pro Grege, arma sumere: dubiam Martis aleam subire, etiam in bello mori. Et sicuti cuncti quibus sublimiores humanæ societatis curæ incubuerant, de justis legibus condendis, eisdemque inviolabiliter servandis primitus & ante omnia solliciti fuerint, sicut *Lacedæmonis* *Lycargus*, *Atheniensibus* *solon*, *Thuris* *Charondas*, ita *Gothis* *Zamolxis* *Pythagora* discipulus leges dedit: adeo ut à multis re re seculis salubres leges nostris condiderint, prisci Reges & gubernatores *Suecia* *Gothi*q; qui eas concinnaverant, & subditis suis  
tan-

fanciendas tradiderant. Ac licet paucissima de his in Historiis nostris occurrant, quia ut in aliis gestis ac notabilibus posteritati tradendis negligentior fuit antiquior ætas, ita etiam in legumlatorum nominibus consignandis. Tamen leges O-gothicas quod attinet, tradunt illas præsertim à Rege *Canuto S. Erici filio* conscriptas esse, posteaq; à *Birgero Järl* Regis *Valdemari & Magni Sadeläds* parente annis 1251. & Anno 1260 revisas, correctas & confirmatas esse: & præter hos etiam *S. Ericum Regem* jam prius de conjugio leges tulisse: quæ ulterius probare, nunc videtur minus necessarium. Nisi quod inter potissima laudum argumenta ponendum ad hæc tempora ferè antiquam & eandem illam justitiæ administrationem perdurare. Nam quanquam hodiernus imperij *Sveo-Gothici* status in quibusdam ab antiquo non nihil recessit, in quam plurimis tamen, potissimum fundamentalibus, ad huc idem manet, & altissima antiquitatis vestigia veluti retinet. Vigetq; illa legum promulgatio in omnibus Territoriis nostris *Bärlindz / Härrat / Östindz / Eonings / Bantelindz / Skärkindz / Hanelindz / Hammerkindz / Alderbo / Epsingz / Dahl / Gösingz & Uffa*. In quibus varia Monasteria sunt *Scheningense* primum fratrum ordinis

nis prædicatorum, ab *Erico* undecimo fundatum,  
& à Rege *Magno Sadelåås* locupletatum. Secun-  
dum *Virginum*, ordinis *Sancti Dominici*, quod  
*Inged* inchoavit. Tertium *Lincopense*, fratrum or-  
dinis minorum *S. Francisci*, à Rege *Magno Sadelåås*  
erectum. Quartum *Vadstenense*, primum *Vir-*  
*ginum*, ordinis *Birgittæ*, & alterum *quinq;* fra-  
trum, ordinis ejusdem, quod adhuc superest, &  
in quo milites debiles & membris truncati susten-  
tantur. Sextum *Sudercopense*, prius fratrum or-  
dinis minorum *Francisci*, & posterius, quod  
appellatur *S. Spiritus* & confratrum. Unde, ut  
& ex collegio *Canonicorum*, constat prodii-  
se ingenia rara, & clarissima *Patriæ lumina* in  
*Historia*, *Gothos Johannem* & *Olaum*. Nono  
namque, à *Christo nato*, seculo, dum *Blér-*  
*no* *iv*, cum *Carolo Magno* imperatore Romano  
ad tuenda *Christianæ religionis exercitia Sa-*  
*crae pacis fædera* iniret, ab illo concionatorem  
*Divinum ex Germania* impetravit quendam  
*Heribertum*, qui templum *Lincopense* fundasse  
scribitur: ibidem qui mortuus est & sepultus,  
&, quod nostris *Ostro-Gotbis* majori potest es-  
se honori, primus *Sveciæ* audit *Episcopus*;

utur posterioribus temporibus septem Episcopatus patria nostra agnosceret, qui tamen nunc plures sunt, ut ex Historiâ patriâ manet notissimum. *Secundum* faciunt *Richardum*, qui, dum *Ericus viii.* curam restaurandæ religioni jam collapsæ impenderet, ad Episcopatû Lincopensem Anno 950. confirmatus est à pontifice *Agapeto* secundo. *Tertius* erat *Gislo*, quem tota posteritas, ob pietatem, eruditionem, & humanitatem, diu multumq; commendavit. Episcopus creatus est Anno 1115; hanc spartam in multis auxit, & inter cœtera Monasterium in *Nydahl* fratrum ordinis *Cisterciensis* fundavit An: Christi 1151. à Rege *Sverchero* Deinde locupleratum. Illi successit *Colo*, à Papa *Alexandro* tertio Episcopus constitutus, Regnante *Carolo vii.* An: 1190, à quo *Rolsbroo* in *O. Gothia* est exstructa: Sub quo ponte olim quinq; laquearia, & adhuc aliquot veræ antiquitatis insignia conspici licuit, conspicimusq;: Qui dum ad morem tunc receptum *Hierosolymam* iret, ibidem mortuus est, illiusq; locum, promovente Rege *Erico x.* & consentiente pontifice *Honorio iii.* obtinuit *Jobannes*, magnis virtutibus clarus; qui dum in mortis agone esset constitutus, permulta bonorum suorum

tem-

templo Cathedrali Lincopensi testamento reliquit. *Sextus* Episcopus Lincopensis ab *Aufonio* papa, & Rege *Johanne*, qui Clero erat parens benignissimus, salutatur *Carolus*, frater ducis *Birgeri Järl*/ alter ut *Aristides*, justitia valde celebris: Sed dum cum Patruo Christianam religionem ad vicinos propagare festinat, à *Moschovitis* occisus est. Mox *Septimum* accepimus *Benedictum* fuisse, qui bona ecclesie Cathedralis promovit & auxit, per duodecim annos, & ibi deinde mortuus est. *Octavi* nomen novimus *Laurentij*, qui Episcopatum nactus est Anno 1232. Templum *S. Laurentii*, nunc *Rusticorum* dictum, erigi cum primis curavit: Inde author Regi *Erico* xi. cognomine *Balbo*, qui Regis Sancti *Erici* abnepos fuit, extitit, ut magnis sumptibus *Scheningie* & *Calmarie* Monasteria de fundamentis exstrueret. *Henricus* post illum in ordine nonus Episcopus An: 1258. qui Regi *Valdemaro*, *Birgeri Järls* filio, coronam regiam imposuit, & post xxiv. Episcopatus annos, dum ad Sepulchrum Sanctum ex voto proficisceretur, in itinere vitam finit Anno 1282. Sic sedes Episcopalis *Lincopia* per triennium vacua erat, donec publicata antecessoris morte, *Colo* decimus An: 1284. surrogaretur, qui in bello inter ducem *Bir-*

gerum *Jarl & Soldungos* mediatorem se exhibuit, & juramento confirmavit *Soldungos* impune ad ducem venturos. Dum autem dux præcipuos *Soldungorum* decollari juberet, quia juramentum non esset servatum, bonâ cum conscientia, periurus Episcopus diutius esse non potuit, nec voluit; quare ad Sepulchrum Christi pœnitentiæ gratia abiit & obiit. Proximus huic & undecimus *Benedictus* erat, Regis *Birgeri Jarls* filius, & Finlandiæ princeps, provinciam Episcopalem scepro Regio præferens, Episcopus electus Anno 1286, pacis in tantum amans, ut offerret fratribus, Regi *Valdemaro*, ducibus *Magno*, & *Erico*, hæreditaria sua bona, modo concordēs vivere voluissent; impos verò voti, & morti vicinus, Ecclesiæ Lincopensi per testamentum omnia reliquit Anno 1291. Decimus & secundus *Laurentius* erat, qui à Sancto sepulchro redux, Scarenſis Episcopus est confirmatus, etiam *Lincopensis* electus, sed brevi tempore supervixit, nam eodem anno est mortuus. Tertium à decimo *Carolus Bâat* præfulem habuit ecclesia Lincopensis, (quem alii nominant *Carolus Cimbam*) nobilem, qui justitiæ & pacis amans *S. Sigfridi & Erici* præbendas constituit, & aulam prope templum *Stållwaf* Episcopali villæ addixit, mundo  
dein.

deinde valedicens Anno 1338, Mortuo illo *Petrus Scheningensis*, antea Regi *Magno Smeel* à Secretis, & ab illo mala multa perpeſſus, Episcopatum Lincopenſem accepit, unde ad Uplalienſem Archiepiſcopalem ſedem tranſſatus eſt, ubi Anno 1366. ſupremum diem vidit. Decimo quinto *Nicolao* nomen erat, ibidem Regis *Magni* III. antea ſecretarius; qui tunc Episcopuſ Lincopie factuſ, dum Regem in *Norvegiam* profugum comitaretur, & ejuſ bona à Rege *Alberto* addiceretur coronæ, *Bahufii* extinctuſ eſt. Decimi lexti vero *Goſſchalci* nomē fuit, antea Romæ, niſi fallor, cōfeſſionarii, ſed tunc à Rege *Alberto* dati Lincopie Episcopuſ; qui dum ab alienata prædia recuperare tentaret, à nobili quodam *Matthia Guſtavi* filio ad *Zinnerbäck* eſt occiſuſ, pœnam cum primis ſolvente illo magnam pecuniariam, etiam alteram non ſine miraculo, ut in illâ domo, in qua ille interfectoſ eſſet, nunquam olla ebulliret, nec cereviſia fieret, donec tandem miſerabili modo arefactuſ extingveretur. Decimuſ ſeptimuſ erat *S. Nicolauſ*, *Petri Scheningenſiſ* ex ſore nepoſ, etiam *Scheningie* natus, qui ex *Archidiacono* Episcopuſ factuſ eſt Anno 1374. Hic ut erat pietatiſ & Juſtitiæ amantiſſimuſ, *Albertum* Sveciæ, & *Haquinum* Norvegiæ Reges potentiffimoſ, juſtiti-

tiam violantes anathemate mulctavit; cumque  
Episcopatum per annos 17. laudabiliter egisset,  
moritur Anno 1391. paulo post in consilio Basileæ  
habito divorum numero intertus. Epitaphio  
autem honoratus in templo cathedrali Lincop-  
pensi sub organis, quod olim sic habuit:

*Hic O-gothorum præsul Nicolaus humatus,  
Mens pia, vas morum, caelesti dogmate gratus,  
Annam Brigittam solenniter historiavit,  
Ansgarii vitam solenni stilo decoravit,  
Hunc annus tulit M. CCC. XCI.*

Decimus & octavus erat *Canutus*, Domini *Ste-  
nonis Boëty* Equitis aurati filius, Anno 1393. infeli-  
ci auspicio Lincopensis factus Episcopus. Bona  
namq; ecclesiæ fratribus *Boëthio* & *Benedicto* op-  
pignoravit, & ob titulos magnos à papâ & eius  
confortibus emendicatos ac coemptos, dum illis  
non pares expensæ, officio motus. Interim au-  
thor erat præbendæ S. Brigittæ, antequam obiit  
Anno 1436. Decimus nonus erat *Benedictus Junce-  
copensis*, ex cantore ad fastigium Episcopale pro-  
motus; verū dum antecessoris hæredes bona sibi  
oppignorata non dimittere vellent, cum illis con-  
tendens quidem, sed victus, post quadriennium  
fatis concessit Anno 1440. *Vicesimus Nicolaus Ke-  
n- tuo Calmarie* oriundus, *Christiernum* I. Regem  
Danorum

Danorum in Sylva *Hålawed* fortiter repulit, ut  
in *Daniam* retrocedere cogeretur, præmiumq;  
fortitudinis per XII. annos, quamdiu vixit, ar-  
cem & ditionem *Stækeburgensem*, retinuit. Ejus  
successor primus erit M. *Catillus*, Domini *Caroli*  
*Christierni* Equitis aurati & Regni Senatoris filius,  
Anno 1459. qui bona ecclesiæ à consanguineis  
Canuti ablata singulari cum prudentia recepit,  
ac defendit; & dum supra dictus Danorum Rex  
*Christiernus primus Johannem Benedicti* Archiepi-  
scopum Upsaliensem, M. *Catilli* consanguineum,  
cepisset, illum virtute suâ ab eadem captivitatē  
fortiter liberavit. Enimvero, tanquam Sacra  
perageret, quodam die, ad altare procedit. Ibi  
verò sacras vestes deponens, juramentoq; con-  
firmans, & id quidem in *Canonicorū* omnium præ-  
sentiâ, se nunquam illas induturum, priusquam  
patriam à *Christierni* i. tyrannide, ac Archiepi-  
scopum dictum à captivitate liberasset: Exer-  
citus colligit, ac prope *Arosam* Vestmannorum  
An: 1464. Tyrannū opprimit, victoriâ magnâ po-  
titus, cogens hostem in urbe cum primis salutis fu-  
gâ consulere, ac deinde in *Daniam* retrogredi. Re-  
dux hic Rex, & comperiens Regem *Sveciæ* adhæc  
per septennium exulem, etiam ope ejusdem *Ca-  
tilli* domum vocatum Archiepiscopum, mox cum  
magnis

magnis muneribus domum remisit. Et post  
pauca deinde M. Catillus Holmiæ peste infe-  
ctus obiit Anno 1465. Lincopiæ in choro australi  
postea sepultus, & fermè illo tempore, quo **Sten-**  
**ninge** urbs olim O-gothorum nobilissima, per  
incendium ita est deformata, ut ne vix quidem  
pristini decoris vestigia ibi reperire liceat, si non  
ex ruderibus perantiquis, vel etiam adhuc  
conspicua foret campana illorum maxima,  
Anno 1468. fusa. Secundus erat *Henricus* de  
**Wånga**/ illustri loco oriundus, qui vir pius erat,  
templorum, cœnobiorum, aliorumque ædificio-  
rum publicorum restauratione & fundatio-  
ne clarus ac magnificus. Etiam episcopa-  
lem ille sedem Lincopiæ erexit, ubi hodie  
arx est, & sedes nunc Regia: In **Wadstena**  
quoque structuram illam lapideam, ubi nunc  
pastor interim loci habitat, item **Munka-**  
**boda**/ nunc **Norßholm**/ & **Bistopßbroo**/ qui nunc  
dicitur **Kungßbro** / exceptis per pluribus aliis  
pontibus lapideis ab ipso in O-gothia non sine  
sumptu & impensis magnis fundatis. Festum quo-  
que instituit in honorẽ Redemptoris Christi, quod  
*Sacrum aurora* nominabat: sed postremo in *Danorũ*  
partes contra Regem *Carolus VIII.*, nimis incli-  
nans, à subditis suis obsidione cinctus est, obiit  
Anno

Anno 1500. Tertius D. Hemmingius Gadd / vir singularis eruditionis, orator clarissimus, & Alexandri VII. pontificis tunc Romani aliquo tempore Mathematicus: Ubi etiam causam Svecorum contra Danos annos ferè viginti egit, unde struente Christierno, & filio ejus Jobanne dum electus esset Episcopus Lincopensis, confirmationem tamen Papa Latij accipere non potuit, & vel hinc ense quam pedo clarior, quia continua per decem ferè annos bella contra Danos, & mari & terrâ gessit; donec jubente Christierno secundo, in Fennigiâ captus & Dominicâ III. adventus, ad arcem Raseburgensem imperante quoque Satrapâ Dano Roloffo Matthie Anno 1520. nequiter decollaretur. Quartus Jacobus Hispanus à Papa quidem Episcopus confirmatus, sed nomine tenus per decennium quia Lincopiam nunquam vidit. Viceſimus quintus erat D. Johannes Brass antea præpositus, sed Episcopus creatus Anno 1513. Qui Gustavo primo dum in negotio religionis plurimum obluatur, Episcopatu exiit qua propter sub prætextu visitandi Gothlandiam, Dantiscum pergit, ubi tam diu in monasterio quodam commorabatur, donec audiret concilium Tridenti inchoandum, quo dum properat, in cœnobio Polonorum Senda vitam

D

& iter

iter finiit Anno 1538. *Vicesimus Sextus Johannes Magni de Bielbo* cui pariter præposituram in Episcopatum mutare licuit Anno 1539. Tum quidem orthodoxo Theologo, sed postea à fratre *M. Thurone* Canonico Lincopensi ad pontificiam retracto, ut Episcopatum desereret, & privatam vitam ageret, omni tempore cœlebs. *Vicesimus Septimus M. Claudius Danus*, Monachus Scheeningensis, qui dum vivebat antecessor, Vicarius est declaratus Anno 1543. & hic quidem mirabili modo est conversus, nam dum versaretur in cœnobio quodam Scheeningensi, & audiret Lutheranam doctrinam indies spargi, illam opinabatur sese refutare posse, & idcirco ut Monachus *Wittebergam* proficiscitur; verum dum aliquoties Lutheri de religione disputantis, discipulus fuisset, habitum monachi & omnem superstitionem abjecit, apud Lutherum per annum remansit, & veram Lutheranam religionem edoctus, in Sveciam rediit, ubi ut Luthero, sicut in doctrinâ, & in vitâ non dissimilis esset, virginem monialem in matrimonium duxit: verum dum per aliquot annos vice præsulis munere defunctus, Pastor *Sudercopiæ* constituitur, atq; paulo post moritur. *Vicesimi Octavi* nomen accepimus *Magistri Erici Falcks* à Scarensi ad Lincopensem Episcopatum

patum promoti *Vicesimus nonus M. Marti-  
nus Olai* primum Pastor Gevaliæ de hinc factus  
Episcopus Lincopiæ Anno 1575, quo honore ob  
contemptum *Lithurgiæ* excidit, postremum Ny-  
copensium salutatus pastor. Tricesimus autem  
erat *M. Petrus Caroli* Scheningensis, Episcopus  
Lincopiæ creatus, Anno 1581. & mortuus An. 1585.  
Huic successit *M. Petrus* Benedicti Olandus, Re-  
ctor Scholæ Upsaliensis, ibidemq; in Academia  
Professor, Episcopus deinde Arosiæ, ac tandem  
Lincopiæ, donec omnino Orebrogiæ moriretur,  
Anno 1666 in mense Aprili. post illum Episco-  
patum tenuit *M. Jonas Nicolai Kylander*, Vadste-  
nensis tunc Pastor, ad Episcopatum meritissimè  
vocatus Anno 1609, eiq; laudabiliter præfuit,  
usq; ad Annum 1630. Sic mortuo illo electus ac  
confirmatus est *D. Johannes Botvidi* Regis Gusta-  
vi Magni ecclesiastes aulicus, vir pius, gravis, jux-  
ta ac humanus, per quadriennium saltem Epi-  
scopus, mortuus namq; est 24. Octobris atq; 22.  
Novembris sepultus Anno 1635. Tricesimus  
autem *Jonas Petri* Lincopensis, natus Anno  
1587. qui dum Germaniæ plerasq; Academi-  
as studiorum causâ visitaverat, domum redi-  
ens rectoratum Lincopiæ, postea lectora-  
tum Theologiæ accepit, donec 2. Julij. ob

eruditionem, gravitatem, & Zelum pietatis Episcopus Holmiæ crearetur Anno 1637: mortuus est 13. Decemb. Anno 1644: Tricesimus quintus M. *Andreas Pryn*/ Arbogiz Vestmannorum natus Anno 1590, Professor primum Upsaliensis, lector deinde Gymnasii Lincopensis, sic ecclesiastes aulae regiae, tandem superintendens Gothoburgensis, postremum Episcopus Lincopiae, ubi mortuus Anno 1655. Et quis amplius hujus seculi fulgida ecclesiarum sidera nominare audeat Enandros, Terseros, Svibelios. Viros summos, doctrinarum gloriâ illustres, magnis honoribus laboribusq; functos, mansurosque propter pietatis Zelum, & laudatissimas curas, adseram posteritatis famâ longè celeberrimos. Missis ergo illis Viris eminentissimis, quot inquam creditis viros hic fuisse, vel adhuc fore superstites eruditissimos, Professores in Academiis, Præpositos, Pastores, Lectores Rectores Scholarû & cæteros, quot vel ecclesiasticis, vel politicis maximâ cum laude sunt defuncti, vel adhuc funguntur officiis publicis, Quos si saltem enumerare possem, in quantum tunc cresceret, tum oratio mea, tum omninò laus gentis Ostro-Gothicæ. Nec etenim nunc mēorare licet Regii apud nostros Gymnasii incrementū, Regias atq; Cathedrales Scholas, nu-  
me-

merum ecclesiarum, templorum copiam, ædium  
sacrarum reditus & quæ his affinia. Sufficit gra-  
tissimâ memoriâ recogitasse *Deum non taliter fe-*  
*cisse omnibus gentibus.* Quare ejus Numen de-  
voto pectore sollicitamus, velit etiam nunc & post  
hæc tempora gentem Nostram Ostro-Gothicam,  
atq; totam Patriam, omnimodâ bene-  
dictione coronare.

**DIXI.**

In  
Juvenem pereximium Ingenio, Literarumq; & Morū elegantia,  
DN. PETRUM Dahlqñ/ Ostro-Gothum,

Laudes patriæ suæ Declamatione doctâ publicè  
recensentem,

Hendecasyllabum.

**H** Aud antiquitus abstinentiori  
Ufos, commemorant vetustiores  
Scriptores, calamo, decentiorum.

In laudum Patriæ stylo probato,  
Et rerum memori recensione;  
Quam nostrū fieri vides modernū.  
Septem propterea periclitari,  
Concivem sibi vindicare Homerum,  
Grajorum celebresq; nationes  
Sunt ausa, totidemq; civitates;  
Laudes ex sobole hæc sibi arrogantes.  
Te, Daline, modo pari probarant  
Cives Ostgothia sibi propinquum,  
Dum Laudum Patriæ peritiorum  
Texus fasciculum, per omne tempus  
Incedens hominum sacris vacantum,  
Seu quos insula protulit verendos,  
Seu qui sceptrigeri dedere templum.  
Addis qualibet, istis & vetustis  
Ævis concelebrata mira, nuper  
Inventis quoq; rariora & usu.  
Conatum pietatis excitatum  
Ostendis Patriæ, vicissim & illa  
Nobiscum studijs tuis precatur  
Patronos, Zephyros tibi & faventes!

Scriptit Sympatriota

PETRUS LAURBECCHIUS

P. Professor Publicus.

*Præstantissimo*  
DN. PETRO Dahljñ / Præceptori  
& amico per dilecto

Scribere tam versus utinam, Præceptor amande,  
Posses, quàm vellem! laudibus usque tuis  
Dicendis prolixus abhinc ostendere pergam,  
Quam debere tibi semper abundè velim.  
Quod nunc non possum, melius tunc fortè licebit;  
Creverit ac ætas; tu modo, PETRE, fave

*Tuo in Texuæor amoris & grati animi, hæc  
pauca relinquenti*

GUSTAVO STARCK. J. F.

Ad JUVENEM

*Vita integritate & Eruditione præstantissimum  
atque Ornatissimum,*

DN. PETRUM Dahljñ Ost-Gothum, Conterraneum  
ac Amicum in Paucis dilectum, Ost-Gothiæ laudes  
doctâ Oratione delineantem:

Nescio, quâ natale solum dulcedine Cunctos  
Ducit; Peligni prostat sententia vatis.  
*Hoc, Patriota Dahljñ sat perpendisse videris  
Dictum, laudes Ost-Gothiæ dum scribere pergis,  
Palladii Cathedram properans adscendere ad Auram,  
Ut veteres mores, urbes ac arma renarres.  
Pergito nunc porro doctorum volvere libros,  
Sicut capisti, divâ incitus indole mentis!  
Hinc tibi tandem surget honos & Gloria magna,  
Tuque labore tuo meritâ & Mercede fruëris.  
Quod superest, precibus venerans sis supplico jova:  
O Deus astripotens, qui singula ritè gubernas,  
Ausibus his faveas, conatus atque secundes,  
Quo Patria fias decus amplumet lucida gemma!  
Quin voveo, superos, Dahljñ! ut Nestoris annos!*

*Paucula Singulari affectu Scripsit*  
JONAS T. Hæselbeck Ost-Gothiæ-Svecus.

*Morum literarumque elegantia perexi-  
mio Studiofo*

**DN. P E T R O Dalijn / Sympatriotæ &  
amico perdilecto.**

**E**x p̄riensque vices animosque ad sidera tollens,  
Lætitia dulces sub pectore sentio motus;  
Quod laudes patriæ cupidis properare camænis  
Pergis, quas dudum cupiens haurire tenellis  
Auribus haud potui vel fidâ mente notare.  
Jam Dalijne soli patrii dulcedine ducte  
Sympatriota, diu Musarum castra Secute,  
Ediscens mores, Musarum & Apollinis artes;  
Præcipuum à teneris cupis impendisse laborem,  
Præsidio orbis agis licet usque ac ante paterno;  
Tentans pro meritis patriam molimine magno  
Laudibus efferre, & titulis celebrare decoris,  
Frugifera ut pateat patriæque scientia cuivis,  
Quid tibi retribuam, perquam Patriota colendè!  
Haud etenim possum grates persolvere dignas,  
Debita nec meritis tibi reddere præmia tantis.  
Idcirco inspiciens simul intima cordis Iova  
Jugiter, Orandus te exornet dotibus amplis  
Ingenii, ac omni pariter rubigine tersâ  
In patriam, ut redeas famâ super æthera notus!

*Gratulabundus animo sincero  
adposuit*


**GUDMUNDUS A. AMNELIUS**

*Q. Gotbus*

2

0

5



[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)